N° 292

711

Leone XI

S

(Bocchi) Firenze. 1605 – Or. LEONE XI.

Ex legato D: Equitis Antonij Francisci
de Marmi

ORATIO FRANCISCI BOCCHII

DE LAVDIBVS LEONIS VNDECIMI PONT. MAX.



FLORENTIAE,

Apud Bartholomæum Sermartellium Iuniorem.

MDCV.

ILLVSTRISSIMO VGONI COMITI GHERARDESCHAE

FRANCISCVS BOCCHIVS S.

IN magno, communiq; dolore, quin te præcipuus dolor maximè ſollicitet, nec mihi dubium eſt, & tu fortaſſe (quę tua fuit ſemper pietas in Leonem Pontificem Max. pernecesſarium tuum) non diffiteberis. Quò magis ille ſuum animum ad ſalutem hominum mirabilibus virtutibus muniuit, cordiq; fuit, vt, dum minus potuit, difficultates egentium ſubleuaret, eò, poſteaquàm Pontificatus dignitatem fuerat adeptus, repentinus interitus omnium mentes magis pungit, & excruciat. Id vnum conſtat inter omnes, nullum vmquam fuiſſe tempus, quo noſtra ciuitas magis variè affecta ſit, nunc luctu ingenti, nunc ſingulari lætitia, ſplendidiſsimis adhibitis gratulationibus, exequiisq; funeris eiuſmodi, quales, vix dum tranſacto menſe, nec maiores reperire, nec, qua ratione apparatiores fiant, poſſimus cogitare. Cùm multi tantæ dignitatis ſtudioſi ad ſuam animi propenſionem declarandam ex ſuo ingenio aliquid contulerint, ne mihi in re tam illuſtri deeſſem, nonnullas laudes viri ampliſsimi collegi, quas tuo nomini dicandas eſſe cenſui. Dum eas leges reſpondebit parùm, vt opinor, mea hæc omnis opera permultis Leonis Pontificis, ſplendidiſsimisq; meritis; ſed tamen humanitate tui animi fretus nequaquam tibi fore ingratam ſum arbitratus. Quicquid deerit tamen in his meis lucubrationibus, tu vnus omnium optimè, cui virtutes omnes tanti viri notiſsimæ ſunt, facilè tibi ad tuum arbitrium ſubiicies. Vna omnium conſenſio cùm admirabili ſtudio ſummis laudibus operam dederit, ne ceſſare penitus viderer, hanc à me orationem, cuiuſmodi illa eſt, facile elicuit. Vale; Florentiæ. IX. Calend. Iunii. CIↃ. D C V.

ORATIO FRANCISCI BOCCHII

DE LAVDIBVS LEONIS VNDECIMI PONT. MAX.

FRAGILITATIS ſuę humana conditio quotidie nos admonet; quæ ſæpè vna hora accumulandis moleſtiis oſtendit, vel eo tem pore de rebus aduerſis eſſe cogitandum, cùm timore nullo, nulla mali ſuſpicione, omnia hilaritatis, lætitiæ plena ſunt, & fluere ad voluntatem copioſiſsimè videntur. Repentinò, & temporis momento, quæ tibi commoda erant, commutantur; quæ ſalutaria expertus es, te inuito auferuntur; quæ polliceri ſpem, eadem deſperationem, & mœrorem videntur deniq; afferre. Neque enim in tranquillitate periculum, nec in lætitia dolor timeri ſolet: iucunda omnia, omnia læta cogitantur, &, quæ futura ſunt, pręſentibus ſimilia finguntur; vt iam nequaquam ſit mirum, tam repentino interitu Leonis Vndecimi nos repente oppreſſos, qui ne ſuſpicione quidem tantum acerbitatis vmquam cogitauimus. Irrupit mors ſuo impetu noſtram in lætitiam, & cunctas vitę rationes ſubitò euertit; moribusq; probitatis, innocentiæ proſtratis, omnium animos luctu acerbiſsimo inuoluit. Eas virtutes Pontifex Leo fuerat complexus quæ in precio cunctis in locis eſſe ſolent; eis bonis ſuum animum ornarat, quę ſplendorem ſuis, ſalutem ſibi, omnibus mortalibus exemplũ afferunt ad imitandum: vt nequaquam ſit mirum, eius morte bonorum animos tanto dolore eſſe affectos, qui ſunt perpetua vita tam mirabiliter exhilarati. Sed tamen erumpentibus lacrimis, quæ perpetuò nos premunt, aliquis modus faciendus eſt, & dum me viri honeſtiſsimi dicentem attenditis, de laudibus ampliſsimi viri cogitandum. Natus igitur Leo nobiliſsimis parentibus Florentiæ honeſtis in diuitiis eis primò ſe moribus ornauit, quibus & ſibi emolumentum, & decus familię afferret; nulla enim luxuria, nulla libido, nulla paulo liberior narratur cogitatio; quibus rebus, dum floret ætas, dum voluptates iuuentus ſuo iure quodammodo profundit, & mens hominis vitiorum illecebris concutitur, & nimiis voluptatibus à ſua ſede, id eſt, à ratione dimouetur. Hinc expeditus curis, quæ ſolent rectè incedentem remorari, firmo animo

mo ad vim virtutis capeſſendam ſe ſe comparat. Qui fuit ad magna negotia deinde aditus, qui conatus, dum ſe nobiliſsimis virtutibus exornat, dum mentem moribus inſtituit, dum Deo animi vires dicat, & vouet? teſtis eſt Florentia, quæ dum viri ſanctiſsimi vitam intuetur, laudare probitatem non deſiſtit; teſtis eſt Roma, quę ſanctitatem admirata eiuſdem dignitatem ſemper auxit; teſtis eſt Gallia, quæ, dum pietatem viri ſapientiſsimi agnoſcit, ſe ipſam cunctis in locis ad veræ religionis cultum prompto animo accendit; orbis terrarum conſenſus dum virtutem pręcipuè dilaudat, & res magnas ab eius ſapientia expectat, eo imperante, permulta, & præclara bona ſe ſibi viſurum eſſe pollicetur. Neque enim obſcurum fuit poſtea quã in militiã Diui Stephani adſcriptus eſt, quàm grauiter in ea, quàm ſplendidè ſe geſſerit, & dum eſſet Cardinalis, planè patuit, ſapientia quantũ valeret, quàm ſummo ingenio præditus eſſet; qui grauiſsimis negotiis obeundis ita, quod propoſitũ fuit, exhaurire ſolitus fuit, vt multò plus ingenii magnitudine poſthac, quàm quod tunc ageret, conficere poſſe crederetur. Cunctis omnino exploratum eſt, quid in Epiſcopatu Piſtorienſi egerit, quid Romę in legatione Magni Ducis nomine pręſtiterit: ita enim gregis ſui Piſtorienſis rationes tutatus eſt, vt diligeretur ab omnibus: ita Romanam legationem induſtriè, & grauiter obiuit, vt Pontificibus probatus à Magno Duce gratiam iniret: virtutis deinde mirabiliter periclitatę ita pręcipuum nomen adeptus eſt, vt nihil eſſet tam magnum, tam arduũ, quod ſummo iudicio conficere poſſe non putaretur. Summis virtutibus, quibus vitam ſuam toto pectore regendam commiſerat, cunctorum in ſe oculos conuertit; ſibiq; nihil, Deo verò omnia tribuens, quantus ille vir, quàm mirus orbis terræ iudicio euaſit? Multis ille in locis nominis ſui veſtigia reliquit, multis cum hominibus multa negotia contraxit; quibus, quæ ſua virtus, & quanta eſſet, planè fuit exploratum. Noſtræ verò ciuitatis Archiepiſcopatum & ſuſcepit libenter, atque ipſius munus vigilantiſsimè exercuit. Cari erant amici, iucundi neceſſarii, ſed patrię caritas ita eius animum deuinxerat, ita veri amoris igniculis affecerat, vt ſtudium ardentiſsimæ propenſionis in nos perpetuò emineret. Etenim nullum incommodum, nullum diſsiduum, nulla rei cuiuſquam perturbatio memoratur, quò minus grauiter adminiſtrationem huius ſacri muneris perageret, ſacriſq; legibus ſatisfaceret. Minimè quiuis propter rerum magnitudinem, ac difficultatem ad tam magnam dignitatem poteſt aſpirare; neque enim probitas tantum, atq; innocentia poſtulatur, ſed permulta præterea quæruntur; vt niſi adſit induſtria, animi magnitudo, & virtus, fruſtra omnis labor, omnis opera ſuſcepta eſſe videatur. Hæc ſumma dignitas, cui vir hic clariſsimus cumulatè, atq; egregiè reſpondit, omnium in ſe oculos conuertit, & poſteaquam deſignatus eſt, qui deligendus eſt, quos ad ſe cogitationum concurſus facit, quàm viſendus

dus

dus cunctis, quàm cunctis in rebus eſt excutiendus? Vt ſi ad rei magnitudinem deſit aliquid, quò minus res ipſa abſoluta, & perfecta ſit, hinc, quod in hoc viro factum non eſt, rerum omnium improbatio, atq; offenſio exoritur. Non vnius, ſed omnium hominum opinio eſt, tanti eſſe curam Archiepiſcopatus Florentini, vt vel cum maximis, atque ampliſsimis huius generis occupationibus conferri poſsit. Longè, lateq; patet regio, quæ huic ſacræ ditioni ſubiecta eſt; eiuſmodi populis præterea conſtat, qui ceteris conceſſu omnium ſollertia, atq; ingenii acumine antecellunt. Vt iam omnibus teſtatum ſit, & exploratum & magno numero laborum, & difficultatum varietate, & copia negotiorum, eam eſſe huius adminiſtrationis naturam, & conditionem, vt ſummę virtutis, atque acerrimi iudicii viro carere nullo modo poſsit. Nactus igitur vir ſummus, & experiens hanc Eccleſiam tam inſignem, tam nobilem per annos XXX. aut amplius, quàm benè eam rexerit, quàm ſartam, & tectam ſanctiſsimè cuſtodierit, facilè permultis laudibus vno ore oſtendit vnuſquiſq;, & mœrore obrutus, & lacrimis deſiderium, quo nunc conficitur, planiſsimè declarat. Ex hac honorificentiſsima cura ad Cardinalis honorem gradus factus eſt: Gregorius enim XIII. cùm in omnes partes ſapientiſsimè intueretur, vt, quos idoneos cognoſceret, ad Reipub. onus ſuſtinendum aduocaret, &, vt de humano genere benè mereri vellent, hortaretur, hunc virum prudentiſsimum in Collegium Cardinalium cooptauit. Vis enim virtutis poſteaquam non ſine diuino conſilio in hominum proborum animis diſſeminata eſt, eademq; adulta mirabiles fructus tulerat, nonne ſua ſponte res ipſa flagitare videbatur, vt opportunè ad hominum vſum conuerteretur, vt quę ad ſalutem nata eſt, ſalutem parere primo quoq; tempore inciperet? Minimè igitur eum tanta dignitas imparatum offendit; minimè, ne maximo oneri ſuccumberet, inermem deprehendit; qui ita moribus ſanctiſsimis inhærens vitam ſuam tueri ſolitus eſt, vt res nulla quamuis ſubitò ſe imparatum, atque incogitantem poſſet reperire. Eius ſublimis animus multa quotidie cogitare, multa moliri conſueuerat: præſto erat mens, quæ rerum opportunitatem expectans, vt vires ſuas poſſet explicare, ita aliorum cauſa expetebat, vt ſuum præcipuè negotium agi videretur. Siquid enim magnificè, ſiquid præclarè, ſi quid excelsè agendum eſſet, erit cuiquam dubium, quantū valeret, cùm omnino, quid præſtiterit, exploratum ſit? Nihil egit Clemens VIII. in ſuis adminiſtrandæ Reipub. rationibus, in quo huius viri ſapientiſsimi conſilium non exquireret; res nulla incidit tam ardua, tam controuerſa, quam hic non explicaret: nulla tam noua, tam repentina, quam non exolueret, & præcipua quadam induſtria nó conficeret. Legatio verò, quam in Gallia iuſſu eiuſdem Pontificis obiuit, ſatis declarat, & quàm ſumma prudentia præditus eſſet, & quàm difficillima quæq; negotia nauiter exequeretur. Reges enim potentiſsimi

mi, hoc viro ſanctiſsimo pacis interprete, depoſitis controuerſiis, percuſſo fœdere, amici facti ſunt. Rex enim Hiſpanus, atque itidem Gallus ita, eo diſceptante, quieuerunt, vt nulla poſtea controuerſia orta ſit, nulla diſſenſio: & in eo, quod ipſe tranſegit, vterq; conquieſcens ne vnū quidem poſthac verbum commutarit. Tam magna fuit viri ampliſsimi auctoritas, tam ſancta, vt nihil ſit deinde immutatum, nihil ex eo, quod decretum fuerat, imminutum. Regnum Gallorum orbis terrarum teſtis eſt, ante aduentum huius ſapientiſsimi viri, quàm agitari exitioſis contentionibus, quàm variè fluctuare conſueuerit; & quàm paulo poſt ſalutariter conquierit, & cauſas totius tumultus depoſuerit. Certatum fuerat atrociter ciuilibus diſſenſionibus; nemo erat, qui rapinis, & cædibus ſuſpenſo animo non eſſet; nemo, qui vaſtitatem Regni quondam florentiſsimi non pertimiſceret; cùm hic vir ſummus abſterſis ærumnarum cauſis, quæ tunc oriri, quæq; etiam impendere videbantur, tantæ rei cauſa ſuſcepta, & malorum radices præcidendas, & rebus perturbatis, atq; affecti s tranquillitatem, atque otium inducendum, atque alendum præcipuè curauit. Ex eo tempore cæpit res Gallica exurgere, & reuiuiſcere, &, vt Gallorum captus eſt, multa ſubtiliter ad ſuum commodum perpendere, & de ſalute animorum, quæ ab hoc viro ampliſsimo proponebatur, grauiſsimè cogitare. Aduentus huius viri ſpem magnam præbuit, remanſio ſalutem; & cùm ſubiecta eſſe omnia mille periculis viderentur, extinctis bellorum ſuſpicionibus, pax denique certiſsima cunctis in locis orta eſt, & de vero cultu Dei Opt. Max. cogitatum. Cœpit igitur, qui à diuinis præceptis defecerat, dolore angi; erigi ad ſpem, qui belli detrimentis affectus fuerat; lætari, & exultare, qui in fide Catholica permāſerat; vt cùm vnuſquiſq; rem vnam, eandemq; ſalutarem expeteret, planum factum ſit, ſummum beneficium huius viri ampliſsimi totam Galliam agnoſcere, ſuamq; ſalutem eidem referre omnium vocibus acceptam. Permultum erat in cunctis regionibus, crebriſq; vſurpabatur vocibus, veniſſe hominem in Galliam ſanctiſsimis moribus præditum, qui quocumq; incederet, partim moribus, partim hortatu errantes reduceret in viam, & ſalutem gentibus afferret. Cùm vbique ſigna clementiæ, & probitatis relinqueret, facile factum eſt, vt tota natio Gallica magnis, & ſalutaribus beneficiis ab eo ſe affectam eſſe diceret, vt celebraretur idcirco nomen ſanctiſsimi viri cunctis in locis, vt extinctis vitiis verę pacis auctor, & liberator tam magnis in malis diceretur. Hominem natum ſubleuandis hominibus, quis eſt, qui dubitet, tam magna mortalibus bona præſtitiſſe? eum, qui ne tranſuerſum quidem vnguem à diuinis præceptis diſceſsit vnquam, quòd ſibi ipſi ſanctiſsimè conſtiterit, vt Deo hac liberalitate gratificaretur, admirabimur? Et profectò in viris ſummis vir ille magnus ſemper fuit, in principibus princeps, in nobilibus apprimè generoſus. Inhærere ſuæ ſententię ſolitus eſt; multum

con-

conſtantiæ tribuere: prauitatem odiſſe, ſanctitatem morum ita venerari, vt nihil ei denegandum, aut omnia potius tribuenda iudicaret. In rebus aduerſis fortis, in dubiis conſtans, in ſecundis modeſtus præcipuo quodam modo ſibi vitam admirabilem conflarat; vt nec preces ab æquitate, nec timor à conſtantia, nec gratia à ſummo iure dimouere vnquam potuerit, quin curſum ſanctiſsimè inſtitutũ perſequeretur, & conficeret. Quoties de dignitate Eccleſiæ agendum eſſet, dictu incredibile eſt, quantopere in ea augenda omnes animi neruos & ſedulò contenderet, quàm omnia pro nihilo putaret, dum modo Noſtri Saluatoris numen incredibili ſtudio ceteris rebus omnibus præferret. Comparandis ſanctiſsimis moribus intentus dum ſe exercet, & ſe præclaris cogitationibus exornat, eo pacto vitam totam ſalutaribus virtutibus locupletat, vt vno omnium conſenſu eius expeteretur conſilium, & quod ipſe ſenſiſſet, faciendum omnino videretur. Quid egit inuictus ille animus, quam diu Florentię commoratus eſt, dum ius dicit, dum gregem ſuum diligenter tuetur, dum ſingulis horis præcepta ſanctiſsima ſuppeditat, niſi vt Dei, atque hominum haberet præcipuè rationem, & ſuum munus ſumma cum pietate quotidie impleret? Quid? dum grauiſsimis in Gallia occupationibus diſtinetur, qui vir ille, & quantus fuit? quàm eſt omnia perſcrutatus, vt cum ſalute quietem pareret, quàm ſe patienter exercuit, vt deſciſcentes ab Eccleſia ad veram pietatem reuocaret? quàm ſe denique torſit, vt ſacrum bellum excitaretur, atque vnuſquiſq; ſuo impulſu arma caperet, &, domeſticis contentionibus depoſitis, hoſtem communem Orientis, ſuum præcipuè hoſtem eſſe duceret? Romæ commoratio, quæ diuerſis temporibus minimè fuit mediocris, quàm crebrò vocibus pęnè omnium celebratur? fuit ille cordi Gregorio XIII. à quo in Cardinalium collegium adlectus eſt; magniſq; negotiis adhibitus, quid ingenio poſſet, egregiè oſtendit. Carus præterea fuit Xiſto Quinto: &, dum, quod mandatum eſt, ſapienter perſequitur, vehementer probatus. Clemens verò VIII. tanti fecit, vt ſibi pęnè perpetuò adiunctum eſſe vellet; cum eo communicare, ſi quid incideret, cum eo ſtatuere grauiſsimis de rebus, & conſilium potiſsimùm exquirere conſueuerat. Sed quando ea negotia, quæ ſunt Pontificis, cùm adhuc Pontifex non eſſet, tractauit tam ſapienter, cur res geſtas odioſè requirimus? cur importunè, quę peregit magnificè, pro nihilo habemus? Qui ſunt, qui vſum magnorum negotiorum expetant? qui occupationum exitum deſiderent? ita eius vita à glorioſis laboribus abundat; tam multa vigilanti quadam, & perpetua induſtria molitus eſt, vt nec venire in mentem cuiquam poſſit, cur optet amplius, & cunctis vel magna poſcentibus omnino ſatis ſit. Fuit ille ad ſummam dignitatem obeundam paratus omni tempore; clariſsimiſq; comitatus virtutibus nulla res erat præterea, quam ſuſcipere & ſuſtinere non poſſet; ita meditatus nobiliſsimis artibus, vt, ſi quid

contigiſſet, ad ſupremam Pontificatus maieſtatem efferendus eſſe videretur. Mos fuit quondam ciuibus Romanis, quò animus ad magna negotia eſſet paratior, rebusque conficiendis inſtructior, cùm publicè facta eſſet mentio de ſummis occupationibus, de quibus in Senatu paulò poſt agendum eſſet, vt vnuſquiſque, qui nobilitate eſſet inſignis, quò ſe ad dicendam ſententiam commodius compararet, in domum principis ciuis conueniret, atque ibi vnà cum multis commentaretur, & quid in Senatu paulo poſt dicendum eſſet, ſubtiliter diſſereret. Hanc ipſam commentandi conſuetudinem vſurpauit quodam modo, & crebrò Leo Pontifex tota vita, & præter cetera (quoad eius fieri potuit) adamauit. Magnas ille, dum domi ſententias amicorum exquirit, vtilitates collegit; &, cùm expromeret, quid de re propoſita, quæ grauis eſſet, ipſe ſentiret, atque aliorum ſenſum cum ſuo ſapienter conferret, mirum dictum eſt, quàm vir ille induſtrius, quàm experiens, quàm ſapiens periclitatis multorum ſententiis euaſerit. Fugam præterea illiberalitatis, atque auaritiæ vehementer in ſacerdote, atque in homine ſacro probare ſolitus erat, & voluptates libidinis, & Veneris exhorreſcere; atque eum (quod in ſe probari ſentiebat) qui ſe ab iis vitiis inuictum præſtitiſſet, facilè cui vis probari poſſe affirmabat. Supra id, quod cuiquam credibile eſt, homines ex hac noſtra ciuitate fouit ſemper ſua ſponte, &, quàm potuit maximè, dilexit. Accidit enim, ſimulatque Pontifex Max. renuntiatus eſt, vt multi ab eo peterent multa; quibus maximè noſtratibus hominibus & pollicitus eſt benignè, & dedit liberaliter; quibuſdam verò, quaſi eos puderet, ex hac vrbe eſſe oriundos, non ſolum nihil dedit, ſed grauiter increpuit, & quod à proximo Pontifice habuerant, eripuit; Crebrò dictitans, quòd Florentiæ natus eſſet, quòd ex hoc cœlo ſpiritum duxiſſet, quòd mores, quòd vitam ex hac patria nactus eſſet, ſe vehementer gloriari, & magnis Dei Opt. Max. beneficiis acceptum referre. Cùm multi, atque in iis viri Romani illuſtres ad eum confluerent, vt ei dignitatem recens delatam gratularentur, ſuamq; operam deferrent, vt magnificis ludis, & gratulationibus paulò poſt ſuum animum oſtenderent; affirmauit grauiter, ſi ſuo illi ſumptu id facerent, fore, vt pro beneuolentia tam magna gratiam haberet; ſin eundem ſumptum, vt quandoque fieri ſolet, in capita egentium præcipuè conferrent, ægerrimè eſſe laturum, &, ne id facerent, denuntiare. Iam verò quàm hic ſuum animum diligenter egregiis diſciplinis exornauit? quàm moribus nobiliſsimis excoluit? Etenim vt ſe augeret, vt vim ingenii locupletaret, quid ille vmquam omiſit? aut quid vmquam potius non eſt expertus? qui ſicuti mercator nobilis variis maris tempeſtatibus iactatus, multiſq; agitatus procellis, poſtea quàm nauis in portum appulſa eſt, naufragium facit, nec merces, quas nobiliſsimas collegit, in terram exponere poteſt; ita vir hic inſignis cùm merces multarum virtutum opportuno vitæ tempore collegerit, quas ampliſsimo in munere explicaret, conſpecto portu, furentibus ventis aduer-

ſæ valetudinis, vitęq; naufragio retentus, facultatem opportuniſsimam, in qua ampliſsimę dignitatis munus exerceret, vix conſpexit. Qua deſtitutione tam aduerſa, tam miſera nonne, honeſtiſsimi viri, multorum hominum detrimentum, & vaſtitatem ciuitatis florentiſsimæ perſpicitis? Dum igitur ad vim augendam virtutis ſe ſe comparat, dum ad ſe ornandum mores ſanctiſsimos vndiq; conquirit, dum ad imaginem ſingularis ſanctitatis ſe conformat, qui vir ille fuit, ſupreme Deus? virtutem ipſam, eamq; diuinis comitatam moribus diceres, non hominem, ſi eum inſpexiſſes, & quàm magna virtutũ cohors in eius animo inſederat, eſſes contemplatus. Mens fallax, ficti vultus, fucatus ſermo ita abierant ab illo, vt nihil, niſi veram probitatem, & diuinos ſenſus eius oratio olere videretur. Ita res humanas tractare, & perſequi ſolitus eſt, vt ſuam operam, quam nauaret, Deo ſe probare poſſe arbitraretur: ita ſuam orationem audiri ab hominibus, vt à Deo præcipuè audiretur; ita de aliorum ſalute agitare, vt ſuam in ea ſalutē incluſam eſſe iudicaret. Sed quò mea longior oratio tam multis commemorandis laudibus prouehitur? quò maior enim optimarum rerum multitudo, quibus orbati ſumus, ſe ſe offert, eò vis lacrimarum maior ſe profundit, & cauſa luctus maioris magis ſe oſtendit. Carendo diſcimus, quàm mirus fuit Leo Pontifex, quàm ſingularis, quàm laudibus efferendus; vt cùm præ luctu progredi longius non poſsim, &, quod præ manibus eſt, tranſire ſilentio non liceat, rem ipſam in medio relinquam, &, vt ea veſtris in animis, quod opus eſt, moliatur, demiſiſsimè Dei præſidium inuocabo. O virum iure optimo ceteris omnibus præferendum? O animum in omnes homines benignũ & ſalutarem? Paruum eſt omnino, quod poſſum; exiguum eſt pro tuis ſummis meritis, quod enitor; multò maiorem, quàm quæ pręſtari à me poteſt, vim eloquentiæ maximarum virtutum numerus requirit. Vtinam, quando res tanta mediocribus rebus contenta non eſt, ea mihi dicendi facultas tribueretur aliquando, qua, vt æquum eſt, tanti viri interitum lugere poſſem; lugerem profectò prudentiam, firmitatem; lugerem animi magnitudinem, grauitatem; lugerem patientiam, qua huius ſeculi inſolentiam vicit; lugerem veris lacrimis modeſtiam, qua non ceteros tantum homines, ſed ſe ipſum ſuperauit: lugerem denique grauiſsimam iacturam eo nomine, quód in huius vnius morte mores nobiliſsimi defecerint. Sed tamen, ſi rem ratione metiri volumus, minimè lugendus eſt is, quòd à nobis abiit, ſed idcirco ſit nobis impatientius dolendum, quòd videre eum, quem amauimus, & frui tam repente mirabilibus virtutibus deſiuimus. Fama, vt omnibus exploratum eſt, adepti Pontificatus quàm lætis animis audita eſt, quàm fauſtis excepta clamoribus? Commouiſſe ſe ſuis ſedibus noſtra ciuitas omnis viſa eſt; &, cùm ex ſuo corpore virum hunc ſanctiſsimum in tam magnam dignitatem perueniſſe nuntiatum eſt, cunctis lætitiis exultans, quid ſentiret, magni-

ficen-

ficentiſsimis gratulationibus declarauit. Sed quid de ciuitate noſtra dico? Roma, vbi Pontifex Max. renunciatus eſt, nullis laboribus, nullis pepercit ſumptibus, vt hilaritatis ſigna quàm maximè oſtẽderet. Quid? quocunq; tam lætæ rei nuntius peruenit, eodem incredibilis lætitia peruaſit. Cur igitur tam ſubito ex ingenti lętitia acerbiſsimo luctu redundant omnia? Cur tantopere inani ſpe tota ciuitas hilarata eſt? cur popularibus auris credidimus, vt paulò poſt exitus tam triſtis nos tam multis lacrimis obrueret? Miſera eſt omnino noſtra rerum cõditio; qui qua ratione noſtris malis mederi poſsimus, non habemus: Leonis verò, ſi rectè ratiocinamur, fortunata; qui à nobis eo potiſsimum tempore diſceſsit, cùm ſpem ob multa merita, eandemq; pręclaram ſecum tulit. Cùm ſibi tempore ipſo Pontificatus grauibus in cogitationibus non parceret, rogareturq;, vt de animi contentione remitteret aliquid, nec labores, qui ſe offerrent, cunctos exciperet, reſpondebat omnibus, qui id petebant, admoneri ſe à ſua conſcientia, vt ſui poteſtatem faceret vniuerſis, nec cuiquam aures ſuas clauderet; ſe ita natum eſſe, eis moribus inſtitutum, vt iam exacta pænè ætate nullo pacto à ſe ipſo diſſentiret, & ſuam implorantibus opem denegaret: munus illud grauiſsimum, quod ſibi illuſtriſsimorum hominum ſuffragiis à Deo mandatum eſſet, prompto animo exequi velle, quo initio ſuſcepiſſet, & vt cunctis quàm maximè inſeruiret, ſe ita eſſe paratum, vt ſuo neglecto, aliorum tantummodo commodum reſpiceret. Quoties rerum difficultas, vt eum terreret, adorta eſt? quoties à grauitate negotiorum inſolitus labor reuocauit? quoties virium infirmitas, ne vltra graderetur, remorata eſt? cùm ipſe tamen & conſcientia, quæ cunctis probata erat, ſibi non deeſſet, & animi conſtantia inflammatus, cùm maximè ægrotaret, de curſu rerum, qui honeſtiſsimus erat, nihil remitteret, diuino numine prouehente, cui fuit ſemper mirũ in modũ addictus, eò, quò voluit, feliciter peruenit. Dolores enim cùm minimè ceſſarent, ad ſingulas tamen plagas feriebatur immobilis; ipſaq; mors quò magis ſe comparabat ad impetum, eò magis vir fortis quatiebatur inuictus. O labores cunctis perpetuò ſalutares? O mentem omnium vocibus efferendam? Tu ne illuminandis virtutibus delectus, tamquam flamma, quæ repente oritur, & moritur, tam repente extinctus es? Vix in veſtigio ſummæ dignitatis viſus es, cùm omnium ex oculis ablatus es. Quò nunc confugiet probitas, vt ſe, quoties vis aderit, ab improbis defendat? quò ſe pudor recipiet, qui in tua vigilantia ius ſuum tueri cõſueuerat? O ſpes noſtras inanes, & omni lætitia deſtitutas? quid nobis poſthac boni pollicebimur? quid expectare, quid moliri poterimus, quo vitæ rationibus conſulamus? Didicimus, ſed magno noſtro malo, quàm ſæua ſit mors, quàm ſit immitis, quàm dura; quæ omnia deiiciens, in quibus ſita erat ſpes, ſalutem ipſam, non dicam medio in curſu, ſed vix exorientem proſtrauit, & extinxit. Ideò ne noſtros

ſtros hilarauimus animos, vt ſubitò tam triſtis caſus funebri luctu nos obrueret? ideo lætiſsimis nuntiis obuiam iuimus, vt nuntius tam repentinæ mortis nos exciperet? Succumbam igitur luctui, & lacrimis ſubactus petam à te, mitiſsime Deus, vt mœrorem, quo vniuerſa ciuitas conficitur, imminuas, vt ærumnarum grauitatem ſubleues; vt animis ſe affliċtantium æquitatem, eis verò, qui de ſalute deſperant, patientiam ſuppedites. Nulla res vmquam poſt hominum memoriam noſtræ ciuitati tam inopinata accidit, tam grauis, tam triſtis; nulla tam infelix, tam ærumnoſa; vt niſi tuo præſidio iacentem ſubleuas, quid poſthac reſtat, niſi vt cogitationibus ſalutis extinctis, de omni lætitia penitus deploratum ſit apud nos, & conclamatum? Quod ne contingat, ita te rogamus, & obſecramus, vt, cùm infinitis beneficiis totam ciuitatem aliis temporibus affeceris, hoc vnum ipſa omnium maximum immenſæ tuæ pietati referat acceptum. Dixi.

FLORENTIAE,

Apud Bartholomæum Sermartellium Iuniorem.

MDCV.

168
30